

REVERENDISSIMI SERENISSIMIQUE
PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI

MAURITII
GUILIELMI,

DUCIS SAXONIÆ,

JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGRIÆ
WESTPHALIÆQUE, POSTULATI ADMINI-
STRATORIS EPISCOPATUS NUMBURGEN-
SIS, LANDGRAVII THURINGIÆ, MAR-
CHIONIS MISNIÆ ET UTRIUSQUE LU-
SATIÆ, PRINCIPIS HENNEBERGLÆ, CO-
MITIS DE MARCA ET RAVENSBERG,
DYNASTÆ RAVENSTEINI, &c. &c.

DOMINI AC NUTRICII LONGE
CLEMENTISSIMI,

NATALEM DIEM SECUN-
DUM AC TRICESIMUM,

QUI HERI, H. E. D. XII MARTII
FELICISSIME ILLUXIT,
CRASTINO DIE XIV MARTII, HORA II
LYCEUM EPISCOPALE

VOTORUM SOLENNIBUS

CONSECRABIT.

AUDITORES UT FREQUENTES CONVENIANT,
QUA POTEST AC DEBET,
OBSERVANTIA ET DILIGENTIA
ROGAT

M. GOTHOFREDUS GLEITSMANNUS,
SCHOLÆ RECTOR.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA





ΩΣ ΠΕΡ ὁ ὄφθαλμὸς ἐμπέφυκε σώματι, ἕτω βασιλεὺς τῷ κόσμῳ ἐνήμεοσαι, ἡπὸ τῆς Θεῶν
 δεδομένης εἰς συνεργίαν τὸν συμφερόντων, *Sicut oculus innatus est corpori, ita Im-*
perator mundo adaptatus est, a DEO datus ad administrationem conducibi-
lium, inquit Agapetus, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconus in aureis
 ad Justinianum Imperatorem parænesibus, (1) in quibus uti Principem
 hunc inclytissimum docet egregie τὰ πρὸς Θεὸν δεισεῖν, τὰς ὑποκειμένης ἀδικημάτων
 διεκδικεῖν, (2) Deum probe religioseque colere; illos, qui pa-
 rent, ornare beneficiis; ab afflictis & perculsis injurias propulsare: sic hac fa-
 cta contentione & comparatione se Imperatoris animum eo, quo intendit,
 esse perducturum felicissime, haud inaniter existimat. Intueri illum jubet &
 contemplari delicatissimam illam ac pretiosissimam humani corporis par-
 tem, oculum, & fabricam ejus admirabilem; sed ita jubet intueri, ut semeti-
 ipsum etiam oculum quendam esse intelligat, a summo Rectore ac Domino
 publicæ rei ad eum finem donatum, ut subjectorum commodis utilitatique
 seruiat constantissime. Ita enim Agapetus ipse sententiam suam iis, quæ (3)
 sequuntur, explicat: *Χρητὸν αὐτὸν, ὡς οἰκείων μελῶν, ἕτω πάντων ἀνθρώπων προνοεῖν, ἵνα*
προκόψωσιν ἐν καλοῖς, καὶ μὴ προκόψωσιν ἐν κακοῖς, oportet eum (Imperatorem) ut pro-
priis membris, sic omnibus hominibus prospicere, ut proficiant in bonis, non in
malis. Quanta sit utilitas, quanta opportunitas in homine oculorum, vel
 ex eo potest colligi, quod a dulcissimo Salvatore nostro lucerna quædam
 corporis (4) nominantur, & omnium ejus externarum actionum; ut di-
 cere non dubitaverit Seleuciensis Basilius apud Pricæum: ὅπερ ἡλιος ἐν τῇ
 κτίσει, τὸ τοῦ ὄφθαλμοῦ ἐν τῷ σώματι, *quod sol in creatis rebus, id oculi sunt in corpo-*
re. Quid enim vita nostra differret a morte, si oculorum privati lumini-
 bus in teterrimis tenebris ageremus ac perpetua crassaque caligine, & re-
 moti ab omni mortalium societate, & tot jucundissimarum pulcherrima-
 rumque rerum, quæ mundo hoc varietate distincto continentur, ignari?
 Optabilius profecto fuerit in hanc vitam non ingressum esse, quam in eam
 ita venisse, ut nihil oculis videas, nihil perspicias, & cum non sit, ubi nita-
 ris, perpetuo offendas, aut labaris, non sine magno damno ac detrimento,
 aut ipsius etiam corporis & vitæ periculo. Si itaque corpori tam utiles oculi
 sunt, ut, si absint, homo summa atq; ultima prematur miseria; quos & quan-
 tos fructus non ab illis expectabimus, qui, cum sint oculi reipublicæ, nullas
 domi vigilias, nullas belli molestias subterfugiendo nihil habent antiquius,
 quam ut subjectorum rationibus, ut par est, consulant ac prospiciant, quo
 singuli florentes, incolumes, beati haberi & vocari possint. Ad hæc ani-
 mum referentes Arabes, Principibus & rerum Dominis, in una præsertim
 virtute, ex qua fausta emanant omnia, defixis, suavius illustriusque nomen
 imponi non posse arbitrati sunt, quam si *عُيُونٌ* seu *أَعْيَانٌ*, hoc est, *ocu-*
li appellarentur; a quo non videtur abhorrere, quod Regum sapientissi-
 mus præclare docet, a Deo, inquit, (5) creari *עַיִן* *oculum videntem,*
 id est, si nonnullos audimus interpretes, Principes & quotquot reipublicæ
 præsumunt, qui tanquam agendo excubias, totum civitatis corpus procurant,
 & utilitatem eorum, qui commissi sunt, ita tuentur, ut quicquid agant, ad
 eam referant, obliti commodorum suorum. Fructum autem utilitatis,
 quem præbere solet magistratus, hoc nomine significari dicentes ejusdem
 dignitatem nolumus exclusam. Altissimum locum obtinent oculi, ex quo
 plurima circumspicientes funguntur suo munere; de quo non inele-
 ganter canit Poeta:

Summa

(1) cap. 46. (2) vid. Bernhard. Damke in Paralipom. ad Agapetum. (3) cit. cap. 46. (4) Matth.
 VI, 22. ὁ λύχνος ἔστω ὁ ὄφθαλμός σου. Huc referri possunt Platonis verba in
 Timæo: ὅτις αἰτία τῆς μεγίστης ὠφελείας γέγονεν ἡμῖν. (5) Prov. XX, 12.


*Summa boni est, alacres homini contingere visus,
Quos quasi custodes defensoresque periculi
Prospiciens summa Natura locavit in arce.*

Hinc omnia, quæ singulari decori & ornamento sunt, vel aliquem dignitatis gradum tenent, a scriptoribus oculorum nomine solent nuncupari. Ita Gregorius Nazianzenus (6) Episcopum *λύχνον καὶ ὀφθαλμὸν τῆς ἐκκλησίας*, lucernam & oculum ecclesiæ; Isidorus Pelusiota (7) Johannem *τὸν τῆς ἐν Βυζαντίῳ ἐκκλησίας, καὶ πάσης ὀφθαλμὸν*, oculum Byzantinæ & universæ ecclesiæ; Cicero (8) Corinthum & Carthaginem oculos oræ maritimæ; idem villulas suas oculos Italiæ; Catullus (9) Sirmionem, peninsulam lacus Benaci in Insubria, *peninsularum insularumque ocellum*; Demosthenes Athenas *ψυχὴν καὶ ἥλιον καὶ ὀφθαλμὸν ἑλλάδος*, animam & solem & oculum Græciæ; Julianus Damascum *ἀπάσης τῆς ἐώας ὀφθαλμὸν*, oculum totius orientis; Suidas solem *αἰθέρος ὀφθαλμὸν*, ætheris oculum; Achilles Tatius rosam *ὀφθαλμὸν ἀνθῶν*, oculum florum appellant, ut alia exempla silentio transeamus. Omnium autem optime & convenientissime hoc nomine denotatur celsissima sedes dignitatis atque honoris Regum & Principum, qui uti nihil aliud sunt, quam quidam terrestres Dii & Supremi illius Numinis, quod merum oculum non absurde nominarunt veteres, vicarii ac procuratores; ita sanctitatis divinæ radiis sic sunt afflati, ut in iis augustæ hoc majestatis lumen usquequaque splendeat, & auctoris imago atque character conspiciatur planissime. Atque hoc ipsum est, quo non solum homines excitantur adtribuendum Principibus officium & diligentem cultum; sed amor quoque metu mixtus in illorum animis accenditur. Id quod etiam non obscure indicat oculorum imago; quippe quibus nihil nobis charius, nihil antiquius. Itaque cum tenerrima sit illorum natura, quæ injuria vel levissima corrumpi facile potest, diligentem seriamque illorum habemus custodiam, navamusque operam sedulo, ne quod corpusculum pulveris vel minutissimum incidat, eosque affligat atque torqueat. Nimirum ita metuendi sunt illi, qui gubernacula tractant reipublicæ, ut simul nobis in amore sint atque in deliciis; ita sunt amandi, ut, cum tanquam oculi lucis usu publicæ causæ vitam distinguant a morte, summo caveamus opere, ne vel stultitia, vel improbitate, vel alia culpa a quoquam lædantur. Glorietur ergo Sextus ille apud Suetonium (10) & dicat, *se par oculorum* in amicitia M. Antonii Triumviri fuisse: boni cives in oculis ferunt, imo, ut joculari Plauti voce uti in re seria liceat, oculissimos habent illos, qui sunt *ὀφθαλμοὶ βίης oculi vitæ, ocelli reipublicæ jucundissimi*; hos semper desiderant hos colunt, hos venerantur, pro his non oculos modo, sed vitam etiam ipsam, si res ita postulet, nequaquam dubitant amittere. Atque o nos felices, quibus oculum tam charum, tam vigilantem, tam perspicacem qua decet pietate intueri atque admirari ab autore rerum conceditur, **REVERENDISSIMUM scilicet ET SERENISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM, DOMINUM MAURITIUM GUILIELMUM, SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGRIÆ AC WESTPHALIÆ DUCEM FULGENTISSIMUM &c. &c. DOMINUM ET NUTRICIUM NOSTRUM LONGE CLEMENTISSIMUM.** *Tu sis oculus noster*, dicebat sapientissimus ille Moses Hobabo, filio Rague-
lis, Midianitæ, (11) cum profecturus cum populo Israelitico in terram esset, a Deo benignissime promissam, ut ducem haberet & monstratorem viæ variorumque commodorū in vastis illis desertis, quorum Hobabus non credebatur esse ignarus. **TU quoque OCVLVS NOSTER ES; SERENISSIME PRINCEPS, nobis a DEO datus ad administrationem conducibilem: per TE nos vivimus; per TE nobis lux affertur: per TE**
liberta-

(6) Epist. 17. ad eos, qui in Urbe Cæsarea. (7) Lib. I. epist. 156. (8) Lib. III. de nat. Deor. sub fin.
(9) Epigram. 28. (10) de claris Rhetoribus cap. 5. (11) Num. X. 31.

Xg 7411 JA
libertate atque fortunis fruimur : (12) TU non pro temporali solum, sed æterna etiam salute nostra juvanda nunquam non excubas. Ut enim in foro providentiæ TUÆ curis pacem, concordiam, securitatem debemus: Ita in choro etiam patriæ summa cum laude prospicis, vocando & ubique locorum constituendo pios & doctrinis excultos viros, qui tanquam in specula collocati pro Christiani gregis incolumitate diligentissime vigilent, divinam voluntatem ante omnium auditorum oculos ponant, in errore versantes ad viam salutarem reducant, deperditos quærant, imbecillis succurrant, & constantes cœlesti verbo firmiores faciant. Et ne desiderentur unquam, qui multitudinem docere, instituere, & ad omne officii munus instruere possint, officinas dicendi & discendi, quæ bonis omnibus patent, fovere, tueri, ornare, DOMINE, non omittis, ut in illis teneri juvenum animi bonis opinionibus & præceptis imbuantur, atque sic formentur, ut progrediente ætate in oculis civium constituti illud agant, quod vel ecclesiæ vel reipublicæ fructuosum queat esse. Cum ergo hæc tanta Tua, PRINCEPS INCLYTISIME, beneficia singulæ luces numerent largiter, nec ullum prope momentum intercedat, quo non cura tua & salutaris industria frugiferum aliquid ac utile in publicum operetur; nostrum est, non solum æterno rerum Satori immortales agere gratias, quod ad TE, suavissimum harum regionum OCULUM, defendendum & conservandum oculos suæ gratiæ ac misericordiæ aperuerit; verum etiam illius divinum Numen, quam devotissime fieri potest, obtestari, orare, venerari, ut TIBI, PATER PATRIÆ CLEMENTISIME, SERENISSIMÆQUE CONJUGI AC PROLI TUÆ posthac etiam *consulere oculis suis*, (13) perennitatem & incrementa addere domui Tuæ, & maxima in rempublicam merita Tua, prosperitate tanto fastigio digna compensare indulgentissime dignetur. Pluribus verbis hoc pietatis munere cras, Deo bene juvante, HORA II fungentur duo lectissimi B. D. Johannis Hulsemanni, Theologi summi, nepotes & Parentum Excellentissimorum filii optimæ spei, JOHANNES HULSEMANNUS, Altenburgensis, & CHRISTIANUS FRIDERICUS BOHN, Lipsiensis; quorum ille simul *originem a DEO habere imperia; hic regnum parandum virtutibus esse*, oratione Latina, ex prompta memoria recitanda, demonstrabit: *Hulsemannus* etiam, impetrata a Nobilissimo Parente suo in Academiam discedendi venia, nostro Lyceo, cujus membrum per quadriennium fere non sine fructu fuit, & omnibus, a quibus affectum se beneficiis intelligit, publice & rite *valere* dicet; cui λόγον περιεμπλεκτικόν carmine Latino habebit adolescens bona indole præditus, AUGUSTUS BENJAMIN Biedemardter / Cizensis. Quicunque ergo OCULI hujus Episcopatus, Principis nostri clementissimi virtutes suspiciunt & admirantur, illos, ut splendidiore præsentia juvenes optimos, de argumento non injucundo dicturos, incitent ad majora aggredienda, quibus fieri potest, officiis atque precibus contendimus, & observantissime rogamus, beneficii hujus accepti memoriam, non modo nos, sed etiam oratorum Parentes, in quibus summa autoritas est atque amplitudo, perpetuo conservaturos esse, sancte polliciti. Discessuro autem *Hulsemanno* nostro, cujus animum ad virtutis amorem & culturam exempla domestica inflammant egregie, & studiorum incrementa maxima & præmia virtutis amplissima, quæ, si perrexerit, qua cœpit via, non defutura sunt, ex animo precamur. PP. Cizæ III IDus Mart. Anno recuperatæ gratiæ CIO IDC XCV.

(12) Ita fere Augusto Puteolanum sinum prætervehenti nautæ de Alexandrina navi sunt admodulati, (13) PLXXXII, 8.



1077

D. 17. 31

X 2002395

ca
Xa
3411

REVERENDISSIMI SERENISSIMIQUE
PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI

MAURITII
GUI

DUCE

JULIÆ, CLIVIÆ

WESTPHALIÆQUE

STRATORIS EPI

SIS, LANDGRA

CHIONIS MISNI

SATIÆ, PRINCI

MITIS DE MAI

DYNASTÆ

DOMINI AC

CLE

NATALE

DUM AC

QUI HER

FELI

CRASTINO

LYCI

VOTOR

AUDITORES UT

QUA P

OBSERVANTIA ET DILIGENTIA

ROGAT

M. GOTHOFREDUS GLEITSMANNUS,
SCHOLÆ RECTOR.

CIZÆ, Literis HUCHONIS.



ANGRIÆ

ADMINI-

UR GEN-

, MAR-

QUE LU-

LÆ, CO-

BERG,

c.&c.

LONGE

CUN-

M,



US

NIANT,

